DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXVI. NOVEMBRIS.

M· NICOLAO BRAIER, Doctore Medico, moderatore.

An in aſsiduis febribus vnum alui profluuium criticum?

PVTREDINIS author calor extraneus, ille adeò infenſus natiuo, vt eius vim & poteſtatem peſſundet: illo vigente putredo viget, quæ in quamlibet corporis partem graſſatur, humores quoſuis inquinat, nec parcit ſpirituum tenuiſſimæ ac æthereæ ſubſtantiæ, quos rariùs quidem, ſed periculoſiùs inficit. Corporis quocunque loco hæc inualeſcit, aliàs ſolâ quâ ſpirat anathymiaſi, aliàs ſolo adhæſu, vitio proximos humores labefactat prorepítque donec alterutro cordis arcem obſederit, ac tum corporis ὑλομελῆ putrida devrit febris. Varia hæc pro diuersâ putrentium ſuccorum ſpecie atque ſede, continua, intermittens. Continua non ante extinguitur, quàm humor illius parens aut abſumptus ſit aut omnino edomitus: hæc intermittit diem vnum, aut alterum, pluréſue; ac mox præeunte ἐπισημασίᾳ redit, pari prorſus ratione & modo deſitura. Huius cauſa, minoribus concluſa venis, humor eſt putredine accenſus: vt illius, ſanguis, humorum permixtione confuſus, maiorum venarum conceptaculis coercitus, & ille putredinis aſperſus labe.

SANGVIS vbi putruit, non parùm naturæ moleſtus eſt, vt illa, omnia pertentet, quo ſe expediat: tumque hæc, licet ἀπαίδευτος, febris initio videtur explorare, quâ ratione pugnam inſtruat, atque etiam imbecillior coctionem aggreditur, quâ impura & corrupta à puris & vtilibus primùm ſecernit, deinde excernit, tandem & febrem terminat κρίσει aut λύσει. Λύσις quanquam nullâ inſigni perturbatione pugnâue fieri amat, temporis tamen diuturnitate grande faſtidium parit, nec ſemper ſecura, vt ſi vel minimùm peccet æger, in morbum relabatur priore ſæpiùs grauiorem. At criſi, natura validior noxiam omnem materiam à ſuis laribus citiſſimè & procul amandat, quæ licet non omni periculo vel metu carere videatur, optabilior tamen eſt, & quouis modo ſollicitanda, quòd nihil quicquam febrilis materiæ ſupereſſe patiatur, ſed illam funditùs exhauriens, ſummam conciliet integritatem.

FEBRIS aſſiduæ criſis, præceps eſt ad ſanitatem mutatio, quæ febrilis fomitis commodâ ſubductione perficitur. Illa, excretio non eſt, ſine eâ tamen eſſe nequit; non ideò quælibet vitioſi humoris euacuatio critica eſt, ſed ea duntaxat, quæ alui ſponte obortâ perturbatione, ſingularis obtingit, ſi modò coctionis ſigna certiſſima conſtantiſſimáque antecedant, die indice præſignificata, critico tempeſtiuè adueniat, nullum huic aſſideat graue ſymptoma, nulla ſubſequatur ὑποστροφὴ, ſed εὐφορία. Cæterarum excretionum longè diuerſa ratio. Icterus, cui hypochondrij duritiesadiungitur, ſemper malus; ſine eâ raro fauſtus, plerúnque noxius, nuſquam criticus. Exanthematum quorunlibet ad cutem eruptio, acredinis humorum & ſeri ab efferueſcente ſanguine exilientis, (vt olei ab accenſâ teſtâ) non naturæ opus eſt. Dyſuria & Dyſenteria, ſenibus familiares, criſis æmulæ, ἐπιχρόνιοι, ἐπίπονοί τε καὶ ἐπικίνδυνοι. Parotides, Bubones, articulorum & aliarum partium abſceſſus, ſcabies & alia quælibet ad ignobiles corporis partes ἀπόστασις, dolorifica, longa, periculi & moleſtiæ pleniſſima.

SVDORIS & Perirrhœæ vna eſt materia, potus, ſerum, σύντηξις. Qui per cutem aut veſicam feruntur humores, tenues ſunt, craſſi intus reſtantes, non tempeſtiuè excreti, nec ſatis difflati denuò accenduntur, putrent, febrémque generant acerbiorem; cui vires iam attritæ non ſunt ferendo. Hinc à ſeroſorum & tenuium humorum excretione, leuatio quidem, ſed infida nec verè critica. Demum vrina criſim indicat, non perficit; ſudor inchoat, non abſoluit; quòd febrilis materia tota attenuari, tota craſſeſcere nequeat. Sed nec fida magis illa eſt, quam hæmorrhagiâ, hæmorrhoïdibus aut menſtruis natura tentat; vt quæ ſæpiùs ægrotum, nonunquam & medicum ſpe lactet inani. His licet vberioribus, nulla ſæpe aut exigua impuritatis νοσοποιοῦ portio, cum maiore vtilioris ſucci copiâ, magnâ virium iacturâ vacuatur. Natura potens theſauros ſuos nuſquam profudit, laceſſita καὶ μὴ αὐτὴ ἑωυτῆς ἢ μὴ αὐτόνομος, vt plurimùm; quòd contentione prægrandi plus moueat proritata, quàm inhibere queat. Quòd ſi ſanguinis parcior fiat euacuatio, στάξις eſt, ſemper in malis habenda, ſed & per has vias, anguſtas adeò & exiles, atque à foco febrili longiùs diſſitas, non ſatis ſeſe expediunt viſcera, cum illæ ne minimam quidem contineant fomitis febrilis portionem, nec craſſiorem illuuiem queant excipere.

VOMITV ventriculus de propriâ ſede exiliens, partes quibus firmiſſimè annectitur magnâ vi diuellit, vehementi concuſſione quâ ſe accingit ad vomendum; iis potiſſimùm corporibus & naturis, quibus anguſtum aut breue pectus eſt. Sed & hoc primæ & maximè neceſſariæ coctionis organum, excipiendis aut repurgandis ſordibus à naturâ minimè deſtinatum, tantâ colluuione redundabit, vt etiam alimenta, quæ mox ingeruntur, inquinare valeat. Vnus alui ſponte obortus fluor viſcera omnia, maioréſque venas ſordidâ proluuie obſtructas & obſeſſas expedit: tenues vnà & craſſos humores, à natiuo calore iam ſubactos expurgat: noxios tantùm & quoquo modo inquinatos, neque vnquam in ægri commodum ceſſuros eliminat: nec ſolùm maiora vaſa, ſed & corporis habitum repurgat, ſurditatem ſoporémque ſoluit, nullâ aut perexiguâ virium iacturâ, viâ expeditâ & patente, naturæ familiari & ſæpe tritâ; cuius ſi fortè non meminerit, diligentis eſt medici, excretionem illam promouere; huic autem ſi quid deeſſe videatur, vbi intepuerit ardor, & viæ multiplici venæ ſectione reſeratæ & ἀφλεγμάντῳ διαίτῃ materies ritè apparata fuerit, ne recidiui morbi metus aut periculum ſubſit, idoneâ catharſi opus abſoluere, τὰ γὰρ ἐγκαταλιμπανόμενα ἐν τῇσι νόσοισι μετὰ κρίσιν, ὑποστροφὰς ποιέειν εἴωθεν.

Ergo in aſsiduis febribus vnum alui profluuium criticum.

Proponebat Lutetiæ PETRVS MORIAV, Pariſinus. A. R. S. H. M· DC. XLIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus Legier.	*M. Petrus Yon.*	*M. Thomas Gamare.*
M. Ioannes Chartier.	*M. Claudius Germain.*	*M. Anthonius Charpentier.*
M. Ioannes Pietre.	*M. Germanus Preaux.*	*M. Franciſcus Pijart.*